

*fides.* Hic, inquam, modus inferendi ostendit, phrasin illam indefinitam (*valere in Christo Jesu*) prædicari h. l. de alio subjecto, quàm de justificatione *cap. VI. 5.* Ideò concedi potest & concedendum est omnino, tò *valere in Christo Jesu* h. l. *cap. V. ad Gal.* idem esse ac *valere ad justificandum & salvandum*; sed epitheton illud fidei, *operari per charitatem*, concurrere ad hanc speciem valoris in Christo Jesu, quæ dicitur justificatio, id verò negamus, non solum, quia per se non sequitur, sed quia contra scopum Apostoli est, & rationes supra adductas: Lutherus quoq; *in Comment. in h. l.* quando ait, Apostolum hinc non agere, quid sit fides, & quid coram Deo valeat, sed totam vitam Christianam hoc loco depingere, qualis fides & charitas esse debeant, loquitur de hoc epitheto, *operari per charitatem*, quòd hoc epitheton non concurrat ad formam fidei, ut valeat in Christo Jesu, sed esse epitheton fidei, quòd valet in Christo Jesu.

§. LXXIII. Rectè judicavit Daniel Chamier *Panf. t. 3. l. 8. c. 3. §. 26. Gl. 14. c. 8.* nihil ad rem facere, quòd multi hinc solliciti sint, particulam *γὰρ* *Matth. XXV. 5. Venite benedicti, esurivi enim &c.* alicubi non esse causalem, sed rationalem & significativam cujuscunq; alterius rationis inferendi, ut *Matth. XVI. v. 23. dies serena erit, quia Sol rubicundus occidit, & similibus*; sed demonstrandum esse in terminis 1. quòd in similibus locis, quando de relatione præmii ad antecedens opus agitur, particula *γὰρ* non connectat causam cum effectu. 2. Et in specie, quòd h. l. non sit accipienda particula illa pro causali. Quanquam enim vel unicum exemplum oppositum illi, qui particulam *γὰρ* contendit h. l. esse causalem, infringat universalem assertionis absolutæ, particulam *γὰρ* ubicunq; inter opus & præmium ponitur, allegare opus pro causa præmii, adeoq; devolvat in asserentem probandi onus, quòd etiam h. l. *Matth.* partic. *γὰρ* sit causalis, quæ alicubi non est causalis; infert tamen illa exceptio contra universalitatem significati causalis in hac particula *γὰρ* tantum dubitationem, an etiam h. l. significationem causalem nanciscatur, non autem infert categoricam negativam, quòd particula *γὰρ* in h. l. *Matth.* non sit causalis, sed præsumptionem pro se habet: Quam significationem hæc particula ut plurimum, quando opus connectit cum præmio, acquirit, eam etiam h. l. & adsciscere; Proinde neq; hoc sufficit, quòd Chamier sufficere putat *Gen. XXX. 19.* particulam rationativam *γὰρ* poni inter actum & præmium, nec tamen actum illum antecedentem esse meritorium vel etiam causativum præmii,